

tent. Si tamen illata fuerint, requisitis laesis et damnicatis, juxta evidentia testimonia et rei veritate comperta, statim et absque subterfugio satisfactionem super inde et rerum secundum sui excessus qualitatem punire non omittent, firmissimum praestare juramentum teneantur.

Et quia capitaneorum officium erit gentes, nomine, ut prefertur, Regiae Maiestatis conducere et cum illis fideliter ac eum minori poterunt stipendio et salario concordare, exploratores tenere et de illis aliis qui ad negotium tantae expeditionis pertinent providere, gentes etiam conducendas modo antelato ad damna evitanda pro eorum posse custodire et preservare, propterea necessarium est de salario competenti ac condigno ipsis providere, quo facto et rebus eorum officium convenientibus satisfacere valeant, ne defectum exinde sequi contingat.

Hoc declarato, quod si gentes per eos conducenda, aut etiam propriae vel aliter capitaneatui ipsorum deputato, damna in eorum processu quibuspiam intulerint, mox postquam per laeos et damnicatos requisiti fuerint, vel alter eorum fuerit de talibus satisfactionem aut per se ipsum aut gentes quae damna intulerunt compertum ut præmissum est, mera rei superinde veritate impendere teneantur effective, et eorum violatores ecclesiarum ac puerarum et mulierum capitali poena puniri faciant, et gentes in domibus nobilium ac præbiterorum contra eorum voluntatem descendere non permittant.

Ceterum capitanei mutuam habeant cum thesaurariis regni super summam manibus eorum consignatam intelligentiam; cuius respectu gentes secum magis et minus conducere sciant. Thesaurariorum etiam ipsorum unus aut duo gentes conductas personaliter revidere et tam numerum quam etiam apparatum earum bene considerare teneantur, ne talibus, qui non merentur pecuniae, distribuantur.

Et quod aliqui thesaurariorum vel homines ipsorum speciales semper et continue penes capitaneos cum certa summa pecuniarum assistere teneantur, ut per eas gentibus conducendis fiat semper solutio sine defectu; quarum etiam gentium numerum et ipsi sciant, thesaurarii et capitanei solutionum summam pariter intelligent.

Item, quod regna Sclavoniae et Transylvaniae singulas illas solutiones et contributiones quae superius declarata sunt, eque, ac in Hungaria pro unica vice subire faccereque debeant, et superinde Maiestas Regia quamprimum oratores suos ad ipsa regna transmittere dignetur.

Item, Maiestas Regia de praemisso capitaneatu

et consilio quoque suo ita disponat, ut in omnibus rebus, tam Suae Maiestatis quam regni sui, justa praesentem constitutionem bene procedi providerique possit.

Et quod capitanei per Maiestatem Regiam constituti, super declarato juramento per eos praestando litteras suas Maiestati Regiae dare teneantur.

Praeterea, Majestas quoque Regia in verbo suo regio per litteras suas, ac domini prælati et barones, fide ipsorum christiana mediante litteris eorum obligent se, quod constitutionem praesentem et articulos superinde confectos in omnibus eorum clausulis et continentis observabunt, et Maiestas Regia per alios quoque dominos et regnicolas eque absentes et praesentes observari faciet.

Si quis vero praesenti constitutioni ausu temerario contravenire et eam in toto vel in parte infringere, attentare, vel aliqui attentarent, tales, tamquam turbatores communis boni et reipublicae regni hujus, subsequenter totius christianitatis, in rebus et personis eorum per Maiestatem graviter puniantur, et bona eorum flisco regio applicentur absque omni indulgentia et gratia; et omnes nobiles, domini et 339 regnicolae cum omnibus ipsorum facultatibus et juribus, contra tales regiae Maiestati et consequenter capitaneis suis auctoritate suea Maiestatis eis concessa, in hac parte assistere teneantur.

Ceterum, Majestas sua Regia certificet et assecuret singulos regni sui comitatus per litteras suas nolle de cetero et per amplius regnum istud et ejus nobilitatem simili constitutione et taxa molestare et gravare.

Item, si aliquis dominorum aut nobilium et etiam rusticorum res alias celaverit et abscondi fecerit de quibus contributio censusque solvi debetur, tales res si reperiri poterunt per dicatores communitatuum auferantur et ex eisdem primum contributiones reddantur, residua vero pars partim vicecomitibus ac judicialibus partim autem dicatoribus cedat et convertatur in usum.

Item, quod ab illis, qui arma vel vicinalia ad hoc regnum deferunt trigesimae, et tributa nullibi exigantur, et hoc proclametur.

Item, Maiestas Regia mittat suos oratores ad principes christianos idoneos et hungaros, nam alia natione de rebus regni non tantum intelligit; qui quidem oratores inter alia habeant etiam informationem ad Electores Imperii ac civitates partium superiorum, pro subsidio navium, ingeniorum, armorum et pulverum ac aliarum necessitatum impetrando.

Item, ad regni defensionem et ejus partium fini-